

— — Cælo delapsa per umbras
 Stella facem ducens multâ cum luce cucurrit.
 Illam summa super labentem culmina tecti
 Cernimus Idæâ clarâ se cendere sylvâ,
 Signantemq; vias: tum longo limite sulcus,
 Dat lucem, & latè circum loca sulphura fumant.

Invenimus materiam phænomeni; quæramus & efficiëntem. Furoris, non erroris species videtur, id, quod Majestati suæ reservavit Numen, Dæmoni tribuere. Deus noster in cœlis est, & quæ vult, facit: pluit, tonat, fulminat, feremat, ventos excitat, & patrat mirabilia. Laudant omnia hæc Creatorem suum, & apertè clamant: Tu fecisti nos, non ipsa nos. Audi quæso, quanto mugiat opere illius tonitru! *Helmontium*, censorem aliorum tam sagacem & nasutum miror hæc de tonitru scripsisse in *Anomalo Meteor.* *Cùm tonitru non habeat planè naturalem in nubibus meteori, credo prorsus causam omnem habere non supra, sed præter naturam, adeoq; esse effectum portentosum.* Inprimis namq; credere tenemur, *Cacodæmonem esse principem*; & quæ seqq. Eadem de fulmine *Bodinus* asserit: *à genis demonibusq; fulmina cieri projiciq;*; cui satisfacit oppidò perplexè ac ambiguè *Fromondus* l. alleg. Nulla indiget sententia hæc confirmatione: *Deus summa & universalis, sæpè etiam immediata, omnium (eorum etiam, de quibus agimus) effectuum est causa.* Creatura etenim in esse suo bona, necessariò dependet à superiori eodemq; libero agente.

Nunc consideremus stellas, an, & quanta sit in illis ad phœnomena hæc producenda virtus? Portentosa sunt, quæ c. 8. *Meteor.* profert *Paracelsus*; cui proprium hoc dedit confidentia ingenii, ut aut temeraria, aut falsa, aut miracula ebuccinet. Sic ipse: *In stellis fulminalibus est*